

dem S. AUGUSTINUS commemoratum absurdum intulit contra *Julianum*; in nos vero id minime quadrat.

*Ad Conf. concessa M.* Præsertim si præter originale peccatum insit etiam homini habitus vitiosus; *N. min.* quia stante etiam tali propensione, nisi hæc supponitur esse tentatio valde gravis, homo non tantum *physice*, sed et *moraliter* indifferens est sine gratia supernaturali, et potest assentiri bono honesto opposito.

*Inst. 5.* Homo nunc est ad *finem supernaturalem* elevatus; ergo ut per quemvis actum inhonestum recedit ab hoc fine, ita per quemvis actum honestum ad eundem accedit; tum quia alias deterioris conditionis homo esset respectu operationis bonæ: tum quia assignari nequit, ad quæ opera detur vel requiratur gratia: sed sine gratia homo nequit accedere ad finem supernaturalem; ergo.

*R. N. Cons.* Sicut enim homini non debetur *elevatio* ad finem supernaturalem; sic etiam ea supposita non debetur ipsi *potentia*, qua possit per singulos actus positive converti ad finem supernaturalem; quod quidem de peccatoribus maxime *infidelibus* facile omnes concedunt: respectu *fidelium* autem nonnulli putant dari semper homini libertatem cum præparatione necessarium talem, ut homo semper possit ponere vel actum malum, vel actum naturaliter tantum honestum, vel actum supernaturalem; quæ opinio videtur carere sufficienti fundamento; præsertim cum in sententia supernaturalitatem a motivo desumentium possit sæpe in actione occurrere motivum duntaxat naturale; in aliorum autem systemate non statuatur adesse gratiam prævenientem in omnibus prorsus actionibus etiam præcepto positivo non subjectis. Unde

*Ad prob. 1<sup>am</sup>.* *R. T.* Quia per hanc inæqualitatem, in alio indebito fundatam, ac præterea propter peccatum originale aliquo modo debitam, nulla homini fit injuria.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* *R. N.* Datur enim gratia ad ea opera, ad quæ requiritur; ejusmodi autem sunt tum opera salutaria et vitæ æternæ meritoria, tum actus difficilioretsi naturales duntaxat, ut mox dicitur. Cæterum gratiarum distributionem definire nostrum non est. Quis enim *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

#### ARTICULUS V.

##### AN GRATIA SIT NECESSARIA AD SERVANDAM LEGEM NATURALEM?

308. *Nota.* Quæstio proposita circa hominem duntaxat in statu *naturæ lapsæ* movetur; de homine enim in statu *naturæ integræ* Theologi communiter cum S. TH. 1. 2. q. 109. a. 4. et 8. sentiunt, eum facile quovis longo tempore totam legem naturalem sine speciali gratiæ auxilio servare potuisse: quid vero de *natura pura* dici queat, dictum est n. 34. et 38. Porro supponimus hic tanquam certa, vel superius jam expedita: 1<sup>o</sup>. Legem naturalem actus supernaturales etiam præcipientem non posse impleri *sine gratia*; quia hæc ad illos actus necessaria est: 2<sup>o</sup>. Nec etiam legem pure naturalem sine gratia observari posse *quoad modum*, seu ut hæc observatio conducat ad salutem; cum actus salutariis sine gratia haberi nequeat;

3<sup>o</sup>. Dari sine speciali gratiæ auxilio in homine potentiam *moralem* æque ac *physicam*, ut brevissimo aliquo tempore observet præcepta legis naturalis tunc temporis occurrentia affirmativa, nec ullum ex negantibus transgrediatur; modo absit gravis tentatio in contrarium.

309. *Dico I.* Tota lex naturalis sine gratia potest *potentia physica*, h. e. secundum requisita ex natura rei ad hoc, ut actus poni possit, diu ab homine lapsa servari secundum *substantiam*, h. e. secundum ea, quæ pertinent ad bonitatem moralem.

*Prob.* Tota lex naturalis secundum substantiam considerata non superat in præsentī statu vim humanæ voluntatis; ergo sine gratia potest *potentia physica* servari secundum substantiam, et quidem diu, cum non uno tempore occurrat tota præceptorum collectio simul observanda. *Ant. prob.* Ut tota lex vel collectio præceptorum non superet vim humanæ voluntatis, satis est, quod observatis seorsim præceptis pluribus, nihil minuatur humana voluntas secundum virtutem physicam; hæc non minuitur; ergo.

310. *Obj.* Impotentia *proprie physica* est, quæ habetur ex infirmitate aut defectu virium: sed natura sine gratia ad observandam legem est infirma, et habet defectum virium; ut patet ex S. AUG., qui L. de perf. just. c. 2. ad rat. 1<sup>am</sup>. sic respondet: *In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit adversus spiritum.* Et S. TH., dum 1. 2. q. 109. art. 4. negat, hominem posse implere præcepta *sine gratia sanante*: imo art. 2. negat, hominem totum sibi connaturale bonum agere, ita quod in nullo deficiat.

*R. D. M.* Impotentia *proprie physica* est, quæ habetur ex infirmitate et defectu virium absolute sumptarum et simpliciter necessariorum *C.* quæ habetur ex defectu virium tantum respective sumptarum, neque necessariorum simpliciter *N.* Natura lapsa equidem non est sana, sed lapsa et infirma, si sumatur respective ad naturam integram, neque, ut illa, *vires sanas* ac *robustas* habet, atque hinc virium defectum habet; ut dictum est n. 174. et seqq.; sed easdem requiri ad potentiam physicam observandæ legis naturalis habendam, negatum est tum *ibid.*, tum in præcedentibus.

Hinc ex allatis testimoniis nihil efficitur contra *potentiam physicam*; tum quia S. AUG. impotentiam repetit duntaxat a resistentia appetitus inferioris; quæ facit tantum moralem impotentiam: tum quia uterque loquitur de infirmitate respective ad *statum integrum*; quod manifeste etiam patet in locis ex D. THOMA objectis, ubi utrobique prius de natura integra resolvit, illi adesse potentiam; quæ cum non physica tantum, sed et moralis fuerit, sequitur ab eodem naturæ corruptæ negatam solum fuisse moralem potentiam, non physicam quoque. Adde, quod S. Doctor per *gratiam sanantem* intelligat sanctificantem, quam propter duo requirit, nempe ut natura corrupta sanetur, et ut bonum ordinis supernaturalis, quod condigne meritum est, operetur.

*Inst. 1.* S. AUG. 1. c. c. 3. ad rat. 5. comparat infirmitatem voluntatis cum *vitiato pede* ejus, qui claudicat; et S. HIER. L. 3. contr. Pelagian. n. 11. hominis impotentiam ad non peccandum exæquat cum impotentia ad *non ægotandum*; ergo asserunt impotentiam vere physicam.



R. N. *Cons.* Comparatio enim non est *quoad omnia*; alias sicut claudus necessario claudicat et ubique, sic et homo sine gratia peccaret necessario et semper, quod nec adversarii hic nostri volunt, nec intendit etiam S. Aug., utpote qui ibid. resp. 3<sup>o</sup>. dicit *parum esse*, non autem *nihil posse*, voluntatem ad non peccandum. Stat ergo comparatio duntaxat in eo, quod sicut claudum esse est aliqua impotentia, qua non potest homo non claudicare; ita humanæ voluntati sua sit imbecillitas, ex qua non possit non peccare sæpe, nisi adjuvet gratia; ad quod non est necesse, ut hæc, sicut illa, sit impotentia physica. Eadem explicatio facilius etiam adhibetur comparationi *Hieronymianæ*.

*Inst.* 2. Si homo non habet impotentiam physicam; ergo gratia solum requiritur ad legem facilius et non simpliciter observandam: consequens est Pelagianum; ergo.

R. N. M. Nam 1<sup>o</sup>. gratia non desinet esse *absolute* necessaria tum ad legem naturalem, imperantem obsequium præceptis *supernaturalibus*; tum ad præcepta naturalia quoad modum observanda; quod utrumque inficiabantur Pelagiani. 2<sup>o</sup>. Erit semper necessaria ad implenda etiam præcepta naturalia quoad *substantiam*; quia admittitur impotentia moralis, qua posita moraliter loquendo præcepta servari nequeunt. 3<sup>o</sup>. Quamvis hæc moralis impotentia confundi possit cum maxima difficultate; tamen ubi intercedit, infalibiliter futurum est, ut actus non fiat: unde plus dicit, quam *difficilius*.

311. *Dico II.* Nequit tamen *potentia morali*, h. e. sine magna difficultate, ab eodem ita servari longo tempore, quin nunquam intra idem tempus peccet, legis præceptum non observando.

*Prob.* AUCTORITATE. 1<sup>o</sup>. SCRIPTURÆ. S. Paulus ad Rom. 7. cum v. 23. dixisset: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, mox v. 24. ingemiscens et quærens subjungit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ac tandem v. 25. sibi ipsi respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Ex hoc autem constat imprimis, sicut per legem membrorum intelligitur *concupiscentia*, sic per legem mentis intelligi legem naturalem menti insculptam: deinde hanc legem naturalem impleri non potuisse a Paulo *sine gratia*: denique idem tenere respectu omnium hominum; quia ratio impotentiae, quam agnoscit, nempe fomes peccati seu concupiscentia, est omnibus communis, et in plerisque longe major.

2<sup>o</sup>. CONCILIORUM. CARTHAGINEN. II. in epist. Synod. ad INNOC. I., quæ est 90. inter epistolas S. Augustini (al. 173. n. 2.), damnat Pelagianos, quod dicerent liberum arbitrium absque Dei gratia implere posse legem, *sive naturaliter in corde scriptam, sive in litteris datam.* CARTHAGINENSE IV. seu, ut alii laudant, MILEVIT. II. Can. 5. (Labb. t. 2. p. 1539.) anathema dicit illis, qui dixerint, quod *etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa, divina implere mandata.*

3<sup>o</sup>. PATRUM, præsertim S. AUGUSTINI, qui in L. de Sp. et litt., ubi totus est, ut ostendat legem sine gratia servari non posse, c. 27. n. 47. sic inquit: *Nec moveat quod naturaliter eos dixit (Paulus), quæ legis sunt facere, non Spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Negari autem hic

tantum *potentiam moralem* de tota lege, patet ex L. 2. de peccat. mer. et rem. c. 3.

*Prob. II.* RATIONE. Ex parte observandorum habetur magna difficultas: ex parte observantium naturalis quædam reluctantia; ergo. Sane in nostro casu omnia præcepta naturalia sunt observata quoad se valde difficilia, et rebellio appetitus refugit, aut ad contraria sollicitat; quæ si etiam non urgeret, voluntas ratione suæ mobilitatis ac inconstantiae, atque ad delectabilia propensionis totas suas vires ad agendum non esset semper adhibitura, ut proxime S. Aug. l. c. testatur.

*Conf.* Quia voluntas absque speciali auxilio nequit superare *gravem tentationem*, quæ intra longum tempus sine speciali protectione Dei extrinseca non abest.

312. *Obj. I.* Præcepta omnia legis naturalis sunt naturalia, et hinc viribus liberi arbitrii naturalibus proportionata; ergo et per easdem moraliter possunt servari. *Conf.* Deuter. 30. postquam præmisisset Moyses mentionem omnium præceptorum et legis, v. 41. *Mandatum hoc, ait, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum;* ergo lex tota naturalis facile ac moraliter servari potest.

R. D. A. *seq.* Sunt proportionata, quantum ad ordinem C. quantum ad potentiam et vires *subd.* quantum ad potentiam tum physicam, tum moralem sunt proportionata viribus integris adhuc et sanis, quales habuerat Adamus C. quantum ad utramque potentiam sunt proportionata viribus infirmis ac debilitatis certe per peccatum Adami, quibus tantum restat potentia *physica*, nisi juvetur gratia N.

*Ad Conf. D. Cons.* Potest lex naturalis tota servari facile et moraliter per auxilium gratiæ C. sine eo N. Loquitur enim hic Moyses non de naturali duntaxat, sed et de scripta, ut ex præcedente versu patet, ad quam pertinere gratiam nemo eorum concedunt, quamque gratiam nemo eorum negaverit adfuisse Judæis, ac ipse Moyses non obscure promiserat, dum eod. cap. v. 6. prædixit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum etc.*

*Inst.* 1. S. CHRYS. hom. 5. in ep. ad Rom. ad hæc verba: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* sic inquit: *Gentiles admiratione digni sunt, quod nec lege scripta ipsis opus fuerit, et tamen omnia, quæ legis erant, præstiterint;* ergo.

R. D. A. Gentiles omnia, quæ legis erant, præstiterunt hoc sensu, quod alii alia præcepta impleverint C. hoc sensu, quod singuli omnia impleverint N. Unde et Apostolus videtur attentè non dixisse: *Gentes naturaliter legem faciunt, sed: ea, quæ legis sunt;* cum e contra paulo ante scripsisset, *factores legis, nempe totius, justificari, quod sine gratia non fit.*

*Inst.* 2. S. TH. in 2. dist. 28. a. 2. et 3. expresse docet, hominem non tantum singula, sed et omnia peccata mortalia vitare, et omnia legis naturalis præcepta, quantum ad *substantiam* actus, sive ad hoc, quod directe cadit sub præceptum, implere posse; ergo.

R. Ut supra, S. THOMAS hic loci naturæ tribuere duntaxat potentiam *physicam*, non vero moralem, quemadmodum et in Summa moralem tantum negasse diximus; atque hinc non necesse cum aliis putamus, juniorem



Doctorem cum seniore committere. Eodem sensu explicari possunt Durandus, Scotus, Gabriel alique antiquiores, quibus eadem sententia passim tribuitur.

*Inst. 3.* Quod *moraliter* tantum est impossibile, non est simpliciter impossibile, sed solum *difficile*; ergo fieri potest, ut quandoque oppositum contingat. Sed hoc posito sequitur gratiam non esse ita necessariam, ut in ejus defectu nequeat lex observari per longum tempus, quin homo peccet; ergo. *Conf.* Homo ex victoria aliquot difficultatum circa unum aut plura praecepta fit promptior et acquirit *habitum*, quo facile operetur; ergo collectio praeceptorum nihil facit ad impotentiam moralem.

*R. D. A.* Quod moraliter latius est tantum impossibile, non est etc. *C.* quod moraliter strictius est impossibile, adeo, ut per vires physicas absolute fieri nequeat, non est simpliciter intra genus impossibilitatis moralis impossibile, adeo nempe, ut quamvis ad oppositum non desit potentia *physica*, tamen res tot affecta sit difficultatibus, ut nunquam de facto fiat *N.* Unde negatur conseq., et sic fundamentum ruit subsumpti, de quo etiam. num. 310. dictum est.

*Ad Conf. R. D. A.* Fit promptior circa actus ejusdem speciei, et circa eosdem etiam acquirit habitum *C.* circa actus diversae speciei *N.* Jam vero praeceptorum diversorum diversi sunt actus, adeoque obtemperans uni vel alteri praecepto non acquirit promptitudinem vel *habitum* pro observanda tota lege. Praeterea voluntatis inconstantia et ad delectabile propensio intra longum tempus praevalebit habitui non admodum radicato, nisi gratia juvetur.

*Inst. 4.* Datur potentia moralis ad omnia praecepta distributive servanda; ergo et ad omnia collective. *Conf.* Quae sunt moraliter impossibilia, nequeunt *voveri*, aut a superiore *positive imperari*; ergo nec lege naturali ea praecipere possunt; maxime quia ad peccandum requiritur libertas et potentia etiam moralis.

*R. D. A.* Datur potentia moralis observandi praecepta distributive omnia, et distributive sumendo proprie et implendo collectionem *N.* sumendo improprie vel potius singulariter seorsim ac divisive, seu connotando unum vel alterum indeterminate tamen sumptum non observari, atque hinc collectionem non impleri *C.*

*Ad Conf. R. Transm. Ant.* de impossibilitate morali indeterminata *N.* *Cons.* *Disparitas* est, quia *lex naturalis* est circa intrinsece mala, quae a Deo necessario prohibentur, neque possunt fieri licita per hoc, quod in illis indeterminate vitandis occurrat difficultas moraliter insuperabilis. Quae vero *positive* prohibentur, non prohibentur necessario, sed a libera voluntate legislatoris dependent, qui pro sua prudentia non censetur velle obligare in iis circumstantiis, ubi occurrit difficultas rationalis et moraliter invincibilis. Eadem fere ratio est de materia *voti*, dum haec libera est; quia esset nimia praesumptio de propriis viribus; unde nec Deus similia vota acceptat, si forte fiant, nisi in particularibus casibus voluntatem *vovendi* simulque fiduciam consequendi auxilii ad votum moraliter implendum inspiraverit.

*Ad Prob. R. D.* requiritur potentia moralis excludens necessitatem determinatam *C.* indeterminatam *N.* vel *subd.* Superandam tamen vel viribus propriis vel gratiae auxilio *N.* neutro modo superabilem *C.* Atque hinc

etiam oritur discrimen inter Legislatorem *Deum* seu per dictamen naturam, seu per positivum praeceptum aliquid praecipientem, et Legislatorem *humanum* ac *votentem*; cum ille vires aliunde suppeditare possit, hic vero minime.

313. *Obj. II.* Auxilium speciale seu gratia a nobis ad implendam diu naturalem legem requisita nec potest dici entitative *naturalis*, ut patet: nec supernaturalis, quia nequit determinari, an sit gratia tantum actualis, eaque detur fidelibus tantum, vel etiam infidelibus; an sit habitualis, eaque sic non nisi justis communicetur.

*R. 1º.* Ex decreto Dei et lege divina, per Scripturas, Concilia et Patres nobis manifestata, requiritur gratia *entitative supernaturalis*.

*R. 2º.* Probabile est, auxilium supernaturale ad vitanda diu peccata contra legem naturalem non dari, nisi credentibus et *fidelibus*; quia gratia *in fide* fundata non datur, ordinarie saltem et regulariter, nisi habenti fidem: sed auxilium necessarium ad servandam diu legem naturalem est gratia *in fide* fundata; ergo. *Min. prob. 1º.* Ex verbis Apostoli ad Rom. 3. v. 27. *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Quibus insinuat, Judaeo non esse gloriandum de legis observantia, eo quod hanc habeat ex fide; ut explicat S. Aug. L. de Sp. et litt. c. 10. 2º. Ex epist. Synod. Carth. II. sup. cit., in qua Patres contra *Pelagianos* docent auxilium, quo liberum arbitrium fit vere liberum, dum a dominatu carnalium concupiscentiarum liberatur, esse gratiam Dei, et *impetrari per fidem, quae est in Christo Jesu.* 3º. Quia ex CONCILIIIS ET PATRIBUS constat, gratiam ad legem servandam non dari, nisi propter merita Christi: sed quae datur gratia propter merita Christi, saltem lege ordinaria non datur, nisi mediante *fide* Christi explicita vel implicita; ergo.

*R. 3º.* Probabile etiam est, simile auxilium ad eundem finem non dari, nisi *justis*, adeoque hoc sensu gratiam habitualement esse necessariam ad legem diu servandam. Ita D. TH. 1. 2. q. 109. a. 4. et 8., ac colligitur tum ex ep. Synod. laudata, quae dicit per gratiam, *qua Christiani sumus*, nos liberari a dominatu illo concupiscentiae, tum ex Carthag. IV. itidem cit., quod can. 3. definit: *Item placuit, ut quicumque dixerit, in qua justificamur per Jesum, gratiam Christi D. N. ad solam peccatorum remissionem valere, quae jam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur; anathema sit.* Gratia autem, qua justificamur, et non committuntur peccata, habitualis est: peccata vero non committuntur observando omnia praecepta. S. Aug. ep. 93. (al. 177. n. 4.) cum aliis Episcopis scribit, liberum arbitrium non esse satis ad non peccandum, nisi juvetur per gratiam: hanc vero negat esse legem, ut Pelagius intellectam voluit, sed *gratiam, qua justificamur ab iniquitate et salvamur ab infirmitate.*

*Inst. 1.* Concilia et Patres tantum intelligendi videntur vel de observatione legis etiam ad actus *supernaturales* obligantis, vel de observatione *meritoria*; quia eorum mens duntaxat fuerat contradicere Pelagio, ejusque in his capitibus duntaxat versanti haeresi.

*R. N. utr. part. Ant.* Ratio *primi* est, tum quia Apostolus implorans gratiam, eam maxime petit ad vincendam concupiscentiae rebellionem quae potissimum repugnat legi pure naturali: tum quia Concilia et Patres *indefinite* loquentes de necessitate gratiae ad observandam legem nequeunt intelligi de



actibus supernaturalibus tantum, utpote rarioribus et nonnisi pauca præcepta vel unicum naturale connotantibus. Ratio *secundi* est; tum quia iidem in suis sententiis de observanda lege nullibi addunt illam limitationem, *sicut oportet*, alias frequenter adhiberi solitam circa actus moraliter bonos; ergo signum est, quod voluerint legem sine gratia simpliciter observari non posse: tum quia illi etiam alibi dicunt liberum arbitrium *parum*, aut *fere nihil* valere ad prosequendum bonum et vitandum malum; unde si sensissent illud valere moraliter ad legem diu non salutariter observandam, non jam parum, sed plurimum tribuerent libero arbitrio.

*Ad prob. R.* Equidem *Pelagii* hæresis in binis illis capitibus versabatur; sed ea posita a fortiori dicere is potuit aut debuit tum *physicas*, tum *morales vires* soli naturæ inesse ad observantiam mere naturalem, nihilque conferentem ad veram justitiam ac vitam æternam. Unde sicut Concilia et Patres hæresin clare et expresse damnarunt; sic corollarium ejus necessarium ab illis adeo *generaliter* loquentibus repudiatum fuisse, probabilis colligi posse existimamus.

*Inst. 2.* Ex *universali* eorum loquendi formula æque posset inferri, non dari potentiam physicam in homine, sicut nos colligimus impotentiam moralem; præsertim cum æquali ratione requirant gratiam ad observandam legem, ut exigunt ad actus salutaris.

*R.* *Disparitas* est, quia iidem etiam termini accipiendi sunt diversimode pro materiæ occurrentis diversitate: actus autem salutaris tanquam *supernaturales ex ipsa rei natura* et notione supernaturalitatis exigunt gratiæ principium effectivum; cum gratia non tanquam principium physicum, sed duntaxat morale, neque ex ipsa rei natura, sed lege divina et ordinatione tantum requiratur ad observantiam legis. Quin licet Deus *in moderna providentia* semper daret gratiam supernaturalem ad legem etiam mere naturalem observandam per modum principii physici, quo fieret observatio salutaris; tamen id non foret ex ipsa rei natura, sed ex unica Dei voluntate et *libera ordinatione*, quæ absolutam gratiæ necessitatem ad observantiam præcise naturalem non infert.

*Inst. 3.* Si gratia fidei vel habitualis sit probabiliter necessaria ad observandam diu legem; ergo imprimis diu implens legem vel non peccans, certo posset colligere se esse justum: deinde infidelis vel peccator non habebit auxilia sufficientia, eritque moraliter necessitatus ad peccandum. Utraque sequela non est admittenda; ergo.

*R. N. 1<sup>um</sup> seq.* Quia aliud est non habere peccati seu legis violatæ conscientiam, aliud non peccare et implere legem, juxta illud 1. ad Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et Ps. 18. v. 17. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Præterea si quis etiam novisset, se præcepta diu implevisse, *certain* tamen esse non posset de sua justitia; cum nostra de necessitate gratiæ habitualis sententia limites *probabilitatis* non excedat; tum quia allatas probationes forsitan de gratia *actuali* quis explicare posset: tum quia dici posset, ea, quæ ad gratiam habitualem pertinent, ostendere duntaxat, illa data præstari auxilia *commodiora*, licet ea absente sufficientia non desint.

*Ad 2<sup>am</sup> seq. R. D.* Peccator et infidelis non habebit auxilia sufficientia immediata *T.* ob modo dicta. Non habebit mediata *N.* sed de hoc infra.

QUÆRES I. *An gratia necessaria sit ad amandum Deum super omnia?*

314. *Nota.* Inter actus moraliter bonos præcipuus est *amor Dei*, sicut inter præcepta etiam naturæ primum et maximum de hoc amore. Amor hic alius est concupiscentiæ, quo quis diligit Deum ut sibi bonum: alius benevolentia, quo diligit Deum ut in se bonum; hic vel *imperfectus* est, quo quidem quis amat Deum, ejus bonitatem ac omnes perfectiones propter Deum, quin tamen vi hujus actus sit paratus ad omnia Dei præcepta servanda, seque ac omnia referat in Deum: vel *perfectus*, vi cujus etiam omnia referuntur ad Deum, ac Deus præfertur omnibus; voluntasque parata est per absolutum propositum res potius cæteras relinquere, quam Deum, vel quam peccare graviter. Atque hic amor tum *efficax*, tum *super omnia* dicitur, ac rursus dividitur in affectivum et effectivum, seu obedientialem.

*Affectivus* potest consistere in unico actu etiam non perseverante, quo Deus summe amatur cum proposito ei placendi in omnibus, et vitandi, quæ illi graviter displicere possunt; et hic etiam actualis vocatur: *Effectivus* est, qui diu perseverat, importatque actualem Dei præceptorum observationem; hic habitualis vocatur a nonnullis, non quod in solo habitu stet, sed quod vel per sui iterationem, vel per effectus ejus virtute elicitos perseveret.

315. *R. I.* Sine gratia homo nequit moraliter amare Deum efficaciter et super omnia amore *effectivo*.

*Ratio* est, quia homo nequit observare totam legem moraliter sine gratia, nec sine gratia vincere tentationes graves, quæ in diuturna legis observantia et amore Dei omnibus creaturarum illecebris *actualiter* et *effective* præpositi occurrunt.

*Nec dicas 1<sup>o</sup>.* Voluntas potest naturaliter ferri in omne id, quod *intellectus* practice judicat esse prosequendum, sed intellectus semper practice judicat etiam ad longum tempus et occurrente quantumvis tentatione gravi esse amandum Deum; ergo. *2<sup>o</sup>.* Non minus difficile est homini *assentiri* mysterio SS. Trinitatis aliisque fidei mysteriis, ac diligere Deum ut auctorem naturæ super omnia; ergo si illud potest intellectus supposita revelatione sine gratia, etiam hoc poterit voluntas. *3<sup>o</sup>.* Angelus et homo in statu *naturæ integræ*, imo etiam in statu naturæ puræ potuissent moraliter Deum diligere *effective* super omnia; ergo et homo lapsus id poterit.

*R. Ad 1<sup>um</sup>. D. M.* Voluntas potest naturaliter ferri in omne id etc. potentia physica *C.* potentia morali *subd.* si illud cognitum sit facilis assecutionis *C.* sin minus *N.* Deus tanquam bonum *spirituale* et minus clare in hac vita cognitum imprimis non ita afficit voluntatem: deinde hæc propter suam *inconstantiam* et propensionem ad sensibilia minus potens est ad legem totam observandam: denique *gravis tentatio* appetitum sensibilem per se reluctantem fortius incitat; quæ omnia simul sumpta, cum seorsim etiam sufficient, multo magis moralem potentiam elidunt.

*R. Ad 2<sup>um</sup>. T. A. N. Cons.* *Disparitas* est, quia, licet quis hæc credat, tamen hoc ipso non tenetur observare omnia præcepta, cum fides stare possit cum peccato actuali: secus est de dilectione Dei *effective*. Cæterum si homo post



revelationem graviter tentaretur ad dissensum, etiam moraliter solis naturæ viribus assentiri non posset.

R. *Ad 3<sup>am</sup>. Disparitas* est, quia in statu naturæ integræ et puræ id assertitur ratione *protectionis extrinsecæ*, et ob promptum auxilium Dei sive supernaturalis, sive naturale uberius ac frequentius; hæc desunt, aut debita saltem non sunt naturæ lapsæ, quam ideo debiliorem extrinsece saltem statuimus.

316. R. II. Potest tamen moraliter sine supernaturali gratia amare Deum efficaciter et super omnia amore *affectivo*.

*Prob.* Homo naturaliter cognoscere potest Deum esse summum bonum, et idcirco super alia omnia esse amandum; ergo potest Deum sic cognitum naturaliter amare super omnia. *Cons. prob.* tum quia inter Deum ut rebus omnibus creatis præferendum negari nequit *proportio* objecti et potentiae; tum quia facile potest contingere, quod tum temporis nullæ occurrant tentationes, neque alia objecta ulla voluntatem ultro ad Deum anhelantem retardent: tum quia ad amorem Dei affectivum super omnia non requiritur, ut qui ita amat, secundum præsentis quas habet vires, possit implere, quod præceptum est; sed sufficit, quod amor sit sincerus et æstimate tantus, quantus exigi potest, includatque saltem virtuale propositum servandi mandata per eas vires, quæ ad ea sunt necessariae, ubi et quando hæ fuerint concessæ.

*Conf.* Amor Dei *super omnia* est actus homini per se valde connaturalis; ut constat ex dictis de natura pura: præterea natura lapsa non est intrinsece facta debilior, quam fuisset natura pura, ut ibidem ostendimus: denique nihil impedit, quominus per aliquod brevissimum tempus absint ea, quæ extrinsecam debilitatem naturæ lapsæ addunt; ergo.

*Nec dicas* 1. CONC. ARÆUS. II. can. 25. docet: *Prorsus donum Dei est diligere Deum*. Ibidem autem 1. per particulam *prorsus* includitur omnis dilectio: 2. impotentiam amandi non refert in *supernaturalitatem*, sed in liberi arbitrii infirmitatem per peccatum contractam: 3. ante peccatum Adæ jam fuit impotentia supernaturaliter amandi sine gratia; unde post peccatum contracta videtur impotentia naturaliter Deum amandi sine gratia.

R. Contrarium fundamentum nobis præbet illa limitatio adjecta, *sicut oportuit*. Item, quod similiter hic loquatur de amore Dei, ut de actu bono, *operari propter Deum, quod bonum est*: quorum *primum* ex sæpe dictis probat, sermonem esse de amore supernaturali, seu ut TRID. exponit, de *meritorio* justificationis: alterum vero illos doctrinæ non coherentis arguit, qui admissa possibilitate actus moraliter boni ex hoc canone, negant possibilem amorem affectivum Dei naturalem. Præterea notandum, *gratiam* hic vocari *misericiordiæ*; nam gratia naturæ integræ dicitur *gratia sanitatis* ob naturam tum sanam, integram et nullius curationis egentem; item *ex pura liberalitate*, quia erat quidem naturæ indebita, illa tamen non erat gratia positive indigna: e contrario gratia naturæ lapsæ dicitur *medicinalis*, quia per eam sanatur natura vulnerata, inclinata et attenuata per amissionem donorum, integritatem et justitiam originalem constituentium; item *ex pura misericordia*, quia natura lapsa etiam positive indigna est gratia. His suppositis

*Ad 1<sup>am</sup>. prob.* R. D. Includitur omnis amor supernaturalis, ut limitatio, *sicut oportuit*, explicat C. etiam naturalis N.

*Ad 2<sup>am</sup>. prob.* R. D. Non refert in supernaturalitatem, quæ habeatur a gratia sanitatis et puræ liberalitatis C. quæ habeatur a gratia medicinali et misericordiæ N. Etiam *alteram partem* D. Refert in liberi arbitrii infirmitatem consistentem in jactura donorum integritatis et innocentiae originalis C. consistentem in diminutione intrinseca virium naturaliter debitum N.

*Ad 3<sup>am</sup>. prob.* D. Ante lapsum Adæ fuit impotentia agendi supernaturaliter sine gratia sanitatis et liberalitatis C. sine gratia medicinali et misericordiæ N. A. et Cons.

*Nec dicas* 2°. Per actum amoris Dei super omnia, ut passim Patres dicunt, homo *disponitur ad justificationem*; unde et hic amor etiam dicitur amor amicitiae, et reddit hominem Deo amicum ac justum, sed hæc fieri nequeunt sine gratia; ergo. Item per amorem Dei etiam naturaliter homo *convertetur* ad Deum; ergo.

R. D. M. Per naturalem actum amoris disponitur homo ad justificationem N. per supernaturalem C. Amor enim amicitiae præcise ex eo dicitur, quia *gratis et benevole* amatur Deus: per naturalem autem Dei amorem non oritur amicitia, nec Deus redamat naturaliter duntaxat amantem, nec eum etiam amor naturalis facit justum; quia hic potest stare cum peccato actuali. Item converteretur ad Deum actualiter et tantum naturaliter, quod non sufficit ad impetrandam peccatorum remissionem C. habitualiter, quod debet fieri per gratiæ infusionem, vel supernaturaliter aut meritorie N. Amor quidem *naturalis* Dei excludit actum odii vel alium, quo homo actualiter se a Deo avertit; non vero meretur remissionem peccatorum, aut ea prius commissa delet.

*Nec dicas* 3°. Mandatum de amore Dei est maximum; et ipse amor est difficillimus, quia juxta Apostolum est *plenitudo et perfectio legis*; ergo si actus multo minus præstantes nequeunt sine gratia eligi, nec amor Dei poterit.

R. *Antecedens* omnino intelligendum esse de amore *effectivo*, ut ipsa verba Apostoli manifeste docent: actus autem minus præstantes sæpe elici naturaliter non posse ob difficultates graves circumstantes, non ratione *objecti*; cum ergo a nobis supponantur abesse hic difficultates circumstantiarum, ac objectum amoris affectivi ex supposito satis cognitum maxime amabile sit et proponatur, argumentum non est a minore ad majus, nihilque evincit.

*Nec dicas* 4°. Amor Dei effectivus naturaliter non datur, quia vi illius homo debet reddi dispositus ad servandam *totam legem* et vincendas *quasi-bet tentationes*: sed vi amoris affectivi debet homo etiam ita esse dispositus; ergo.

R. D. M. Quia debet reddi dispositus ad servandam legem actu urgentem et vincendas tentationes præsentis ac reipsa sollicitantes C. ad legem pro circumstantiis futuris modo obligaturam, et tentationes forsitan occurruras aut potentes occurrere N. Opposite D. *min. et N. Cons.* Sane efficacia effectiva multo major esse debet, quam affectiva, quia longe difficilior est *executio operis*, quam ejus propositum etiam serium: quando enim quis proponit bonum arduum, quin tamen jam debeat exequi, aut adsit tentatio urgens; tunc vivide repræsentatur bonum ponendum, languide autem et